

per virtutem praedictam transmutatur materia, ut generetur conceptum¹.

118. Prop. 2^a. *Animae belluinae, dissoluto corpore, intereunt, quatenus per accidens corrupti* p[er]tinentur.

Probatur prima pars. Anima belluina non subsistit in se, sed totum esse eius in unione ad corpus consistit. « Non est, ait s. Thomas, anima sensibilis secundum esse diversa a corpore animato² ». Ergo, corruptio corpore, ipsa permanere non potest³. Praeterea, operatio, ut fert effatum, sequitur existentiam;

¹ *Qq. disp., ibid. ad 7.* Scholastici post Aristotelem (*De animalium generatione*, lib. I, c. 1), et fere omnes Patres putarunt esse quasdam species animalium, quae generantur sine semine, et ex corruptione materiae inorganicae (Cf s. Thom., *Qq. disp.*, ibid., a. 11 ad 12). A recentibus huiusmodi generatio vocatur *spontanea*, quia animal sine semine, proindeque veluti *sponte* producitur, vel *heterogenia*, quia a parente diversae naturae, nempe *inorganicae*, gignitur. Acriter autem de hac generatione spontanea ab ipsis disputatur (cf Pouchet, *Hétérogénie, ou Traité de la génération spontanée*, c. 1, Paris 1839; apud quem historiam huius controversiae non solum in recenti, sed etiam in veteri et media aetate videre licet). Illud nobis adnotandum est, quod *theoria generationis spontaneae*, si secundum ss. Patres et Scholasticos explicetur, a Spiritualistis veluti materialismo favens immerito reicitur. Nam ss. Patres, et Scholastici censuerunt materiam inorganicam producere animalia quarumdam specierum infimorum, non quod vim propriam sue naturae ad illa producenda habet, sed quod Deus in creatione mundi addidit elementis, puta aquae vel terrae, quamdam virtutem foecundantem, quae suppleat vim seminis, et per quam in quibusdam circumstantiis posita, atque actione causarum exteriorum adiuta animalia quadam imperfecta producent (Cf s. Basil., *Hexaëm.*, Homil. VII, n. 1; s. Aug., *De Trin.*, lib. III, c. 8, n. 13; s. Thom. I, q. LXXI, art. un. ad 12). Diximus, si secundum ss. Patres et Scholasticos explicetur. Nam Moleschott, dux hodiernae Scholae materialisticae, eiusque in Germania sectatores, maxime Büchner (*Force, et matière*, ed. 7, Paris 1863), post non paucos Atheos, et Materialistas saec. XVIII, theoriā generationis spontaneae hoc sensu tuentur, quod vivent ex materia inorganica per solas vires physicas, et chymicas eiusdem progignuntur. Iam vitam ex viribus physicis, et chymicis materiae inorganicae repete materialismo re vera faveat. Cf quae hac de re praeclare exposuit Henr. Sauvè, *Can. Theol. Vallis-Vidonis* (nunc Andegaven. Universit. cathol. Rector magnificus) in duabus art. *Ephem. Le Monde* (11 et 12 Sept. 1864) sub nomine *Barrier*, quos italicice redditos evulgavit *La Scienza e La Fede*, vol. LVI, Napoli 1865, *Delle generazioni spontanee in riguardo alla Fede e alla ragione*. — ² *Contr. Gent.*, lib. II, c. 37.

³ Cf s. Basil., *In Hexaëm.*, Hom. VIII, n. 2; s. Greg. M., *Dialog.*, lib. IV, c. 2; s. Bernard., *Ep. CIV*.

hinc, si anima belluina corpori superesset, operationibus sibi consentaneis expoliari haud posset. Atqui anima belluina a corpore separata nullum operationum genus exercere potest; si quidem actio est propria rei perfectae, proindeque subsistentis⁴, anima autem belluina est forma non subsistens. Ergo ipsa ne in esse quidem perdurare potest⁵.

119. *Probatur* altera pars. Interitus rerum, ut iam innuimus³, vel per *annihilationem*, vel per *corruptionem* intelligi potest. Atqui anima belluina priori ratione interire dicenda non est, tum quia Deus, a quo huiusmodi rerum destructio dumtaxat fieri posset, nullam rem in nihilum redigit⁴; tum quia in *non esse* redigi illud tantum cogitari potest, quod esse sibi proprium habet, anima autem belluina non habet aliud esse, nisi compositi. Neque ipsa per se corrupti dici potest; corruptio enim, et generatio, ut alibi diximus⁵, non formae, sed composito substantiali proprie convenient. Reliquum igitur est, ut dicatar animam belluinam ex eo interire, quod, corruptio composito animali, *per accidens* corruptatur⁶.

ART. VI. Corollarium ex theoriis iam praestitutis deducitur

120. Wolfsiani sententiam Scholasticorum de natura animae belluinae, quae et aliquid materiale est, et cognitione sensitiva gaudet, materialismo viam sternere contendunt. At vero ex iis, quae iam explicavimus, sententiam illam a materialismo longe abhorrente facile intelligitur. Re sane vera, secundum materialismum, illud, quod cognitione sensitiva pollet, est corpus, vel

⁴ « Formae non subsistenti non competit proprie ut agat, agere enim rei perfectae, et subsistentis est »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 57.

⁵ Cf s. Bernard., *Serm. V in Cant.* Hinc veluti absurdia reiicienda est opinio eorum, qui animam belluinam non interire cum corpore, sed uno corpore dissoluto, in aliud belluinum perenniter migrare tuentur. Etenim ipsa non posset dissolutione unius corporis superesse, aliudque informare, nisi in se subsistere, et operari sine corpore posset; quae duo animae belluinae non convenient.

³ P. 101. — ⁴ Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. V, a. 4.

⁵ Pag. 101, not. 6.

⁶ I, q. LXXV, a. 6 c. Animae autem belluinae, corruptio corpore, *per accidens* corrupti p[er]tinet ex eo quod « desinunt esse per hoc, quod earum materia aliam formam recipit, cum qua forma prior stare non potest »; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. V, a. 3 ad 2.

quaelibet forma corporea. Atqui ex sententia Scholasticorum neque corpus, neque quaelibet forma corporea cognitione sensitiva pollēt; nam anima belluina, cui cognitio sensitiva attribuitur, non est corpus, imo indivisibilis est, atque etsi forma materialis sit, tamen ipsa a ceteris formis materialibus differt. Ergo illam sententiam materialismo viam sternere summa iniuria asseritur. Neque dicas animam belluinam, etsi ceteris formis materialibus antecellat, tamen ab iis non differre, tum quia est, perinde ac illae, materialis, tum quia per virtutem corpoream producitur. Etenim, quod spectat ad primum, formae materiales, ex Scholasticorum sententia¹, non pollent eadem perfectione, sed maiorem, vel minorem gradum perfectionis admittunt, prout magis, vel minus ad materiam deprimuntur. Atqui in formis, ut s. Thomas docet, differentia invenitur, « per hoc, quod una perfectior existit, quam alia² ». Ergo eo ipso, quo anima belluina ceteris formis antecellit, ab illis differre dicenda est, ac proinde sibi esse proprias operationes, quae aliis non convenient, quia « ex diversitate formarum, secundum quas rerum species diversificantur, sequitur et operationum differentia³ ». Quod attinet ad alterum, ex iam dictis⁴ patet, animam belluinam per virtutem corpoream produci non tamquam per causam principalem, sed tamquam per causam instrumentalem. « Virtus seminis disponit materiam, virtus autem animae dat formam materiae in generatione animalis⁵ ».

CAPVT VI.

De rerum mundanarum nexu et ordine

Ex pluribus, inaequalibusque rebus mundanis unicum illud sistema, quod *mundus* vocatur, constitui non posset, nisi quodam nexus illae inter se continerentur, atque ad unicum ordinem concurrerent. De hoc igitur nexus, et ordine disserendum nobis est.

¹ Cf p. 131. — ² *Contr. Gent.*, lib. III, e. 97.

³ *Ibid.* — ⁴ Pag. 137.

⁵ I, q. CXVIII, a. 2 ad 3. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 2. Circa brutorum animam praestat legere novissimum opus, *Lettre critique—L'immortalité de l'ame des bêtes jugée par saint Thomas d'Aquin*, par l'abbé J. Beney, Autun 1876.

ART. I. Rerum mundanarum colligatio exponitur

121. Scholastici post Nemesium¹, Auctorem *Librorum Areop.*², aliosque antiquos docuerunt³ diversas naturas rerum, ex quibus mundus conflatur, ita comparatas esse, ut omnes secum congruo naturalique nexus conjugantur, et veluti totidem annuli unicam catenam, aut veluti totidem gradus unicam scalam⁴ componant.

122. Iam quinque gradus in scala creaturarum inveniuntur, quos s. Thomas⁵ exposuit hoc modo: Infimum locum tenent mineralia, seu res, quae sunt expertes vitae, ideoque dumtaxat veluti *substantiae* spectantur. Super mineralia excellunt plantae, quae vitam quidem habent, sed tantum *vegetativam*; et quoniam vita vegetativa est omnium infima, ideo nomen genericum sumunt, et *substantiae viventes*, vel *viventia* dicuntur. Supra plantas assurgunt *belluae*, quae vita *vegetativa* simul, et *sensitiva* gaudent, et *animalia* vocantur, quia animal per sensum a reliquis rebus discriminatur. Belluis succedunt homines, qui vitam non modo *vegetativam*, et *sensitivam*, sed etiam *rationalem* habent, et substantiarum rationalium voce designantur, quia ratio hominem a ceteris rebus discernit. Hominibus, ceterisque creaturis Angeli longe excellunt, qui vita *intellectuali* possunt, et substantiae *intellectuales* nuncupantur, quia res non ratiocinatione, sed per species intelligibiles a Deo infusas cognoscunt.

123. Porro has diversas naturas rerum inter se sese quodam modo contineri ostendimus sequenti Propositione:

Colligatio inter res mundanas reapse existit.

Probatur. Diversae species rerum, etsi discriminantur inter se per differentias, nempe qualitates essentiales, quae sunt singularium propriae, tamen secum consentiunt per genus, cui subiiciuntur. Enimvero, etsi vegetabilia differant a mineralibus, quia illa vivunt, haec vero vita carent, tamen in eo convenient, quod

¹ *De nat. hom.*, c. 1.

² *De Div. Nom.*, c. V, n. 3, c. VI, n. 3, et c. VII, n. 3.

³ Universitas rerum a Scholasticis cum *scala* comparatur, quia Deus per res ab eo creates a nobis cognoscitur, et ideo hae, prout aliae alii excellunt, considerandae sunt veluti totidem gradus, per quos mens humana, quantum eius imbecillitas patitur, ad cognitionem Dei ascendit.

⁴ *Comm. in c. VIII De Div. Nom.*, lect. I.